



MELISSA

EUROPAEA FOLIA SEXIES IN ANNO LATINE EDITA

Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan - B-1040 BRUXELLIS. Tel. (02) 735 04 08. Telecop. (02) 735 51 32

Editor responsalis: Gaius LICOPPE - Compositrix: Francisca DERAEDT - guy.licoppe@pophost.eunet.be

Bureau de dépôt: 1040 Bruxelles 4 - Afgiste kantoor: 1040 Brussel 4

Ultimus fasciculus ... ante annum bis millesimum !

- | | |
|---|------------|
| ... Anno 2.000 qualem habebimus cultum ? | ☞ p. 2 |
| ... Anno 2.000 in quo erimus millennio ? | ☞ p. 3 |
| ... Anno 2.000 ubi florebit viva Latinitas ? | ☞ p. 6 |
| ... Anno 2.000 multa scripta Latina inedita inveniemus | ☞ p. 9 |
| ... Anno 2.000 ubique terrarum auscultabitur radiophonia Latina | ☞ p. 12 |
| ... Anno 2.000 Latine cantabitis et legetis | ☞ p. 13-14 |
| ... Anno 2.000 discipuli omnia scient de moribus antiquis | ☞ p. 15 |
| ... Anno 2.000 vobis praebebuntur permulta seminaria Latina ! | ☞ p. 16 |



Inter sessionem die 20 m.
Novembris in Domo Latina
habitam, David Morgan
sodalibus congregatis narrat
quid in America Septen-
trionali agatur pro Latinitate
viva fovenda. A sinistra
agnoscuntur Robertus De-
prez, David Morgan, Vido
Moysard, Stephanus Feye et
unus e Scholae Novae
discipulis.

In festum Natalicum
annumque (specialiter)
novum optima quaeque
vobis exoptat Melissa !

CIRCA DOMUM LATINAM

ANTE DECEM ANNOS CONDITAM

Saturni die 16 m. Decembris a. 1989 Bruxellis inaugurata est Domus Latina coram quinquaginta circiter personis, quarum nonnullae e longinquis regionibus advenerant, ut academicus professor Thomas Pekkanen e Finnia et profestrix Genovese Immè e meridionali Francogallia.

Acroases Doctoris P. Caelestis Eichenseer, academici professoris Theodorici Sacré, Doctrinis Sigridis Albert et verba extemporalia profestricis Genovefae Immè optimum omen fuerunt Fundationis Melissae moderatoribus, qui hunc oecum instruxerant ad usum extrascholaris institutionis Latinae.

Intra hoc decennium in Domo Latina actuositas non tanta fuit quam in apium alveo, propterea quod Melissae (i.e. «apis») moderatores in negotiis non Latinis nimis erant occupati. Ibi tamen sessiones Latinae sine ulla intermissione habitae sunt, quae optimam occasionem praebuerunt novos Latinitatis vivae cultores alliciendi et cum nonnullis eorum frugiferam consuetudinem iungendi.

Optimam e.g. conexionem Latinam cum Americanis septentrionalibus habuimus, postquam Terentius Tunberg per annum, quo inquisitiones Lovanii faciebat, sessiones nostras participavit. In Americam reversus conventicula Latina instituere coepit, quin etiam preelections Latine fecit in studiorum universitate Lexingtonensi, ubi litteras Latinas docet. Hac de causa eius discipulus cooperatorque David Morgan nomine, dum paucos dies in Belgica degit, novissimam sessionem nostram participare voluit.

Aliud exemplum est Stephani Feye occursum. Eum fortuito novimus, cum in eo esset ut scholam privatam conderet, ubi Latina et Graeca lingua modo tradito doceretur. Ad sessiones nostras participandas invitatus, statim comperit quantum discipulis prodesset linguam Latinam docere Latine loquendo. Itaque statuit hunc docendi modum in schola sua instituere, id quod non solum optime succedit, sed discipulis valde placet. Evenit etiam ut alteruter ex eis sessioni Latinae intersit; quibus occasionibus participes mirari solent, quanta facilitate hi discipuli omnia intellegant et ipsi verba Latina proferant.

Idem vivus docendi modus etiam in scholis publicis adhiberetur, nisi regentes nostri

nationalismo exiguo adhuc imbuti eum severe vetarent. Plura hic non dicam de causis historicis eorum hostilitatis erga Latinitatem, cum de hac re iam saepius tractaverim. Effectus tamen huius hostilitatis in memoriam sunt revocandi: lingua Latina est pars antiquitatis; solos auctores antiquos in scholis tractare licet; lingua Latina iam diu est mortua atque ad nullum usum est idonea. Quid ergo mirum, si discipuli qui studia humaniora perficiunt nihil sciunt de amplissima Latinitate post antiquitatem florenti, immo ne audiverunt quidem Erasmus Latine locutum esse et permulta opera Latine conscripsisse.

Regimen Belgicum, sicut regimina plerarumque civitatum Europaearum, sinit «globos prementes» suum consilium imponere de materiis docendis et de modo docendi. Quod consilium tendit ad civium uniformitatem instituendam per ignorantiam et eorum ignaviam per incultum. Inde fit ut in scholis, quae aere publico sustentantur, i.e. fere in omnibus, idem institutionis programma eaedemque methodi imponantur. Quid facere possunt parentes, cum nulla supersit electio? Parentum libertas in liberis educandis, quamquam institutis Regni Belgici est sponsa, re vera non exstat in scholis publicis; praeterea hae perpaucae scholae privatae, ubi programma a regentibus impositum non respicitur, subiiciuntur regiminis invidiae.

Oportet igitur homines boni sibi tandem consci fiant vis intolerabilis, quam ipsi patiuntur, et ingentis detimenti, quo afficitur cultus Europaeus. Una via superest ad haec mutanda, quae est «globum prementem» constituere ex his omnibus, qui idem ac nos sentiunt et non timent hodiernae voluntati politicae adversari. Idem proponit Hispanica consociatio Adanca in epistula nuper circummissa.

Idem in Italia sentit Iohannes Carolus Rossi, conditor circuli Latini Mediolanensis, qui in epistula ad me nuper missa scribit haec: «Quod scribis de grege condendo, cuius sit rei publicae moderatoribus instare, placet omnino!... de his lubenter tecum agam et quicquid mihi otii superest in hoc inceptum impendam.»

Congregemur ergo et regentibus nostris una dicamus: «Pax! Liceat nobis tandem de nostrorum liberorum institutione necnon de cultu nostro servando libere curare!»



DE ANNO BIS MILLESIMO...

ET NONNULLIS ALIIS

SCRIPSIT ROBERTUS DEPREZ

Visne scire, optime lector, quid me his temporibus maxime irritet? Non possumus acta diurna aperire, radiophoniam auscultare, televisionem spectare et non audire vel legere tales ineptias, quales «concentus hic ultimus erit millennii», «comitia praesidentialia Americana proximo millennio habebuntur», «n dies adhuc restant ante proximum millennium»... Omnis, qui in schola olim didicit usque ad mille computare, statim terribili anxietate constringitur: num anno proximo nullus concentus fiet? Num comitia praesidentialia Americana, propter inauditam nescioquam crisin internationalem, prima vice in historia illius nationis uno anno postponentur, et regimen exceptionale quoddam ibi instituetur? Minime! Explanatio multo simplicior est: temporibus nostris, quibus omnia citissime progrediuntur, millennium non iam 1000 annos continet, sed 999. Ita secundum millennium, ut cottidie audimus, hoc anno 1999 finietur; tertium millennium anno 2000 incipiet, et 2998 finiet; quartum millennium anno 2999 incipiet, et 3997 finiet, et ita porro, nisi, ut patet, interea decretum fuerit millennia adhuc breviora (e.g. 998 annorum) facere. Altera anxietas pertinet ad *cimicem* (Angl. *bug*), ut aiunt, anni 2000. Cum non sim disciplinae informaticae peritus, conabor tamen, candide lector, id tibi quam optime enarrare. Programmata informatica ignorant duas priores notas numeri anni (19-) et ita,

cum Kalendae Ianuariae anni 2000 accident, ordinatra putabunt se ad annum 1900 redisse; data in eis servata sive destruentur sive inextricabiliter commiscebuntur; aeroplaña de caelo decident, anabathra e contrario solo adhaerebunt, pecunia ab argentariis repeti non iam poterit. Due sunt explanationes possibles. Prima: ii, qui ante nonnullos annos (e.g. inter 1990 et 1995) programmata informatica apparabant, omnino ignorabant annum 2000 quodam die futuro adventurum esse. Secunda: hoc quidem sciebant, sed programmata sua consulto ita fabricaverunt ut nova eis substituenda essent aut saltem vetera accommodanda essent et inde maximum lucrum fieret. Idem programmatum fabricatores affirmant primam explanationem veram esse, secundam autem falsam; nostrum non est de rebus illis difficillimis disputare.

HISTORIA DOCET

Antiquitus homines saepissime annos nomine regis sive principis designabant; Romani nihil aliud fecerunt et, libera re publica instituta, nominibus consulum utebantur. Maximum incommodum talis condicionis erat in eo, quod si quis volebat scire exempli gratia ante quot annos eventum quoddam factum esset, ei necessarium erat longum indicem consulum memoria tenere aut tabulas officiales,



contra hepatitis B. Postea tractantur plantae, sicut maizium, exempli gratia ut resistant herbicidis, atque animalia (recordemur de ove cui nomen est Dolly). Ex eo tempore, quo agitur etiam de humanis morbis geneticis, id est de ipso homine tractando, ethicae et iuridicae quaestiones multiplicantur. Quid futuri sumus?

Anno 2.000 crescent biotechnologiae, i.e. technicae quibus gena ita tractantur, ut novae moleculae et novi organismi creentur. Primus usus pertinet ad medicamina, sicut insulinum et vaccinum

in quibus nomina consulum inscripta erant, ante oculos habere; tales tabulae, *fasti consulares* appellatae, adhuc servantur (non sine lacunis) in museo Capitolino Urbis. Homines igitur multimodis conati sunt computum annorum rationalem instituere, quo unusquisque statim eventum velut punctum in linea temporis collocare posset. Nullus modus computandi unquam plane universalis fuit; omne regnum, immo omnis civitas suum habere potuit. Nihilominus nonnulli modi, sive, ut verbo aptiore utamur, nonnullae *aerae latius divulgatae* sunt. Graeci diu usurpaverunt *olympiades*, quorum initium anno 776 a.C.n. erat; sed postea in oriente (id est in regno Seleucidum, ubi cultus quoque Graecus praepollebat) praecipuum locum tenebat *aera Alexandri*, quae anno 312 a.C.n. incipiebat. Historici Romani antiqui computabant annos ab *Urbe condita* (a.V.c., id est ab anno 753 a.C.n.), sed aera illa non videtur magno in usu fuisse apud plebem, cui numeratio annorum secundum regnum imperatorum familiarior et facilior erat, quippe quae aptior esset ad tempus intra breve spatium vitae humanae metiendum.

Christiani prioribus novae religionis saeculis annos non aliter ac ceteri cives computabant. Sed post imperium in occidente eversum necessitas paulatim apparuit novam aeram, eandemque typice christianam, omnibus christianis populis imponere. Dionysius Exiguus sexto saeculo conatus est tempus nativitatis Christi quam certissime statuere, unde aera nostra, quam *christianam* appellamus, facta est. Sciamus autem oportet non omnes christianos aeram illam accepisse; Copti (qui praecipue in Aegypto et Aethiopia vivunt) etiamnunc utuntur *aera martyrum*, quae anno 284 p.C.n., quo Diocletianus

summum imperium obtinuit, incipit. Praeterea non defuerunt qui tempus creationis mundi e Sacris Scripturis determinare conarentur; sed indicia e textibus deprompta non erant satis accurata ut omnes indagatores de certo anno consentire possent! Iudei tamen adhuc tali *aera mundi* utuntur. Aera igitur christiana, id est «Dionysiana», una cum calendario Iuliano Romanorum simul atque christianismus in multas terras diffusa est. Anno 1582, Gregorio XIII papa regnante, facta est celebratissima reformatio ut differentia, quae paulatim inter calendarium et vera tempora anni irrepserset, corrigeretur: decem dies statim ablati sunt et decretum est ut tres anni bisextiles in cyclo 400 annorum delerentur (1700, 1800 et 1900 bisextiles non fuerunt, sed 1600 fuit et 2000 erit). Reformatione illa nihil in annorum computatione mutatum est.

Sed redeamus ad Dionysium nostrum. Nemo est qui hodie adhuc ignoret errorem in computationibus eius fuisse: exempli gratia, evangelium secundum Matthaeum nobis narrat Iesum Christum natum esse tempore Herodis Magni regis, et idem Herodes mortuus est anno 4 a.C.n.! Non possumus in tam brevi symbola fusius problema hoc chronologicum tractare; sufficiat dicere plerosque historicos hodiernos existimare Iesum Christum verisimiliter natum esse anno 6 aut 5... ante Christum natum. Aliud autem problema manifesto multos homines temporis nostri fugit: Dionysius, cum aeram Incarnationis computavit, nulli anno numerum «zerotinum» tribuit; hoc revera in eius mentem venire non poterat, nam numerus zerum tunc nondum in usu erat¹. Hac de causa quotiescumque computatio quaedam annos ante et post Christum natum



Anno 2.000 orientur nonnullae quaestiones demographicae:

- Quomodo octo miliarda hominum aequa parte nutriri poterunt? Ne loquamur de ciborum qualitate...
- Quid de incremento oeconomico, quod in regionibus pauperibus non fiet nisi decrescente hominum numero, sed sine quo numerus hominum non minuetur?
- Magis magisque vivemus in «megalopolibus». Eritne iucundum?
- Quo maius fit incrementum oeconomicum, eo magis crescit pollutio. Cogitemus de autocinetis: in Belgica dimidia pars civium habet autocinetum, in India solum quattuor millesimae partes. Cum illi omnes habebunt autocinetum (et hoc solum est parvum exemplum), poterimusne vitare ne Terra fiat sordidissima?
- Vetus continens, quae dicitur, re vera est vetus. Mox numerabuntur plures homines rude donati quam munere fungentes. Quis pensiones solvet? Quo modo res ordinabuntur? Ceteris autem orbis partibus non est idem problema.



implicat, ratio habenda est de incongruentia decennali inde orta: exempli gratia, si quis secundum aeram nostram natus est die 20 m. Martii anni 1 a.C.n., primus dies anniversarius (sive natalis) eius fuit 20 Mart. 1 p.C.n., secundus anniversarius 20 Mart. 2 p.C.n., etc; et **nonus** anniversarius 20 Mart. 9 p.C.n., non decimus ut multi primo aspectu putarent, computantes 1 (a.C.n.) + 9 (p.C.n.) = 10! Horatius poeta mortuus est anno 8 a.C.n.; commemoratio bimillenarii mortis eius non occurrit anno 1992, sed anno 1993! Praeterea absentia anni «zerotini» potest una e causis esse confusionis illius ridiculae, cuius in initio mentionem iocose fecimus: saeculum primum incipit anno primo aerae Incarnationis, et anno 100 concluditur; saeculum secundum incipit anno 101 et anno 200 concluditur, et ita porro; item de millenniis: primum anno 1 incipit, anno 1000 concluditur; secundum anno 1001 incipit, anno 2000 **concluditur!** Si dicimus - ut cottidie non sine legitima irritatione audimus - tertium millennium anno proximo 2000 incepturnum esse, deest unus annus! Error hic plerumque fit quia multi homines falso putant primum annum primi saeculi necnon millennii fuisse illum «annum zerotinum» qui revera nunquam fuit! Itaque nobis oportebit Kalendas Ianuarias anni 2001 exspectare ut, Deo favente, tertium millennium ineamus.

DE ALIS MODIS QUIBUS ANNI NUMERENTUR

Certe aera christiana non ab omnibus orbis incolis usurpatatur. De aeris antiquis et aera martyrum iam locuti sumus. Non possumus omnes ceteras aeras enumerare; sufficient hae:

- *aera islamicā sive aera hēgīrae*: incipit anno 622, quo Mōhāmmēdus sive Mahometus, religionis islamicae propheta, ex urbe Mēccā fugit ut Mēdinam peteret (Arabice *(al)hīgrah* = fuga). Sed calendarium Islamicum a nostro multum differt in hoc, quod e 12 mensibus **lunaribus**, qui possunt 29 aut 30 dies habere, constat; itaque annus 354 aut 355 dies continet. Unoquoque anno, calendarium illud lunare 10, 11 aut 12 diebus calendarium nostrum solare antecedit et post fere 33 annos uno pleno anno id praecedit. Itaque computatio annorum in aera hegirae cum nostra non congruit. Exempli gratia, nunc est annus 1420 ab hegira; $622+1420=2042$; ergo praecessio est 43 annorum lunarium pro computo annorum solarium.

- *aera «republicana»*: post monarchiam in Francogallia eversam (10 Aug. 1792) et Rem publicam civilem ibi institutam (22 Sept. eiusdem anni), Conventio nationalis anno 1793 novum calendarium promulgavit, quod calendario Gregoriano substituit. Initium aerae «republicanae» dies ille 22 Sept. 1792 erat. Calendarium illud

officialiter viguit in toto imperio Francogallico usque ad finem anni 1805, sed «nostalgia» eius diu mansit apud regiminis «revolutionarii» fautores, et usque ad primum bellum mundanum nonnulla acta diurna anticlericalia Francogallica cottidiane editionis diem utroque modo (Gregoriano et «republicano») indicabant.

DE KALENDIS IANUARIIS ANNI 2000

Dies ille (sabbatum vel Saturni dies) primus mensis Ianuarii anni bis millesimi calendarii Gregoriani in variis aliis calendaris erit²:

- 2 451 545 (*bis milionesimus quadragesimus quinquagies semel millesimus quingentesimus quadragesimus quintus*) dies mechanicae caelestis apud astronomos;
- 19 Decembris 1999 in calendario Julianus;
- 22 Tahsas 1716 in calendario (Coptico) Aethiopico;
- 23 Tevet 5760 in calendario Iudaico;
- 24 Ramadan 1420 in calendario Islamicus;
- 25 Margasira 2056 in calendario Indico lunari;
- 16 Dhanv 1921 in calendario Indico solari;
- dies 25 mensis 11 anni *Ji-man* cycli 78 in calendario Sinico;
- «nonides» [Fr. *nonidi* = nonus dies] primae decadis mensis Nivosi anni CCVIII [= 208] in calendario «revolutionario» Francogallico.

Multa multaque adhuc de quaestionibus illis ad temporis mensuram pertinentibus dici possent, sed hic finem faciam, optime lector, ut et tibi et mihi liceat vigiliam proximarum Kalendarum Ianuariarum apte praeparare; sed nunc animus tuus pacatus sit: totus enim annus (bisextilis) tibi restabit ut aditum in tertium millennium tranquille expectes!

ANNOTATIONES

¹ cfr. G. LICOPPE: Veterum Litterae rationales..., *Melissa* 71 p.5: *Exeunte VIII saeculo numeratio decimalis per positionem et zerum introducuntur in orbem Islamicum, qui ad occidentem usque in Hispaniam tunc patet.* N.B. In eadem symbola est notitia biographica de Gerberto Auriliacensi sive Sylvestro II, papa anni 1000, digna quae ante annum 2000 iterum legatur!

² fontes: 1. A. BERGER: 2001, début du XXI^e siècle et du troisième millénaire, *Louvain* 98 (mai 1999), pp.15-17; 2. A. DEMAN: scriptum ineditum ad acroasin pro extensione Universitatis Liberae Bruxellensis praeparandam, 12 Oct. 1999.

FLORET LATINITAS IN AMERICA FOEDERATA

REFERT DAVID MORGAN


Urbs Lexintonia - quae in Foederatis Civitatibus medium fere locum occupat inter Canadam et Sinum Mexicanum, inter mare Atlanticum et flumen Mississipium - iam pridem propter generosissimos equos innotuit, ad hippodromum destinatos, qui ibidem atque in pago circumiecto educantur. Nunc vero longe alio nomine huius urbis fama percrebescere videtur, tamquam sedes scilicet motus cuiusdam, quo fit ut studia Latina atque institutio America tota Septentrionali renovari et reviviscere incipiat. Etenim hac in urbe iam quartum annum celebrata sunt conventicula Latina aestiva - moderante Terentio Tunberg, in Athenaeo Kentukiano rerum classicarum professore, atque convenientibus Latinitatis studiosis omnigenis, qui quidem ad hoc enitantur, ut facultatem familiariter atque ex tempore colloquendi excolant.

Abhinc annum fere, Gaius Licoppe, postquam ipse in Americam - qua est in rebus omnibus ad Latinitatem pertinentibus navitate - ad conventum Lextinoniensem participandum una cum Francisca Deraedt advolavit, de hoc conventu deque Latinitate in Foederata America florente diligenter ac lepide narravit (*Melissa*, no. 85, Aug. 1998, pp. 2-4). Quorum exemplum pro modulo secutus, hornotinorum quoque conventuum successum, quibus ipse interfui, his paucis referre decrevi.

Etenim habiti sunt Lexingtoniae hoc anno, quem ad modum anno superiore, conventus Latini duo, quorum uterque per dies octo productus est, primus mense Maio vergente, alter exeunte Iulio. Primo conventui homines viginti, alteri plus triginta interfuerunt. Homines cum plures hoc anno quam prioribus adfuerunt, tum melius ad loquendum parati quando nonnulli vel priora conventicula participaverant,

vel suis in oppidis initium aliquod Marte proprio iam fecerant. Quo successu instinctus, Terentius Tunberg non solum exercitationes prioribus in conventiculis feliciter adhibitas servavit, sed alias quoque induxit, ordineque sessionum novo usus est, quo quisque cum efficacius tum etiam crebrius suam, ut dixit Quintilianus (proem. 23), «alere facundiam, vires augere eloquentiae» posset.

Inter ea quae hoc anno novata sunt, hoc nonnullius fuit momenti, quod totum fere conventum participes in coetibus parvulis, hoc est septem octave hominum, segregati peregerunt. Itaque cottidie cunctos tempore matutino congregatos Terentius, pauca praefatus, dimittebat in greges minores - quorum compositionem prudenti consilio subinde mutabat, ut esset semper alios sodales cognoscendi facultas. Ad talem rerum ordinem optime faciebat locus ipse, nempe aedes binae pulchrae pariter ac vetustae, ex conclavibus constantes permultis ac variis, deinde elegantissima supellectile praeditis - per quae greguli sodalium vagari erant soliti atque cubiculum hoc vel illud, ut libebat, tamquam latibula sibi ad singulas sessiones agendas



Participes colloquia ab Erasmo composita et apud nos in scaena exhibita spectant.



vindicare.

Cum autem Terentius ipse, quamvis sit homo omnium unus impigerimus, tamen ad plures sessiunculas eodem tempore moderandas sufficere non valeret, associavit sibi velut moderatores auxiliarios quosdam - inter quos Iacobus Dobreff et Accius Watanabeus, gradus doctoralis candidati, hic in Yalensi, ille in Sicensi Academia, tum Milena Minkova, quae nuper Romae in Pontificia Universitate Gregoriana, nunc hac in patria apud Academiam Davidsonensem litteras Latinas docet, denique Iana O'Neill, in eadem Davidsonensi Academia litterarum classicarum profestrix.

Ex hac conventus agendi ratione, duplex manavit emolumentum - primum quod singulis participibus multo plures suppeditarunt occasiones loquendi, quam si omnes eodem in oeo congregati sessiones egissent; deinde licuit variis docendi modis frui. Ipse autem, cum rem didascalicam saepe in *Melissa* tractari animadvertissem - non parvo ut opinor lectorum emolumento - quo accuratius possem de hac re referre, sciscitatus sum ex Terentio sociisque eius, quibus potissimum methodis in sessionibus moderandis essent usi.

Respondit ipse Terentius primum de sessionibus matutinis, quibus licebat participibus de argumentis cottidianis libere garrire. «Solebam» inquit «ab amicis nostris dicturientibus nonnumquam efflagitare ut de quadam re (quae semper ad argumentum praestitutum spectabat) alius alium interrogaret.» Cuius methodi Terentius hoc specimen protulit:

TERENTIUS: Quaeso, Roberte, roges Dianam nostram num fere eodem modo domi et inter familiares quo foris et inter collegas se vestire consueverit.

ROBERTUS: Eodemmodo, Diana, domi et inter familiares quo foris et inter collegas te vestire consuevisti?

DIANA: Minime! Prorsus aliter domi et inter familiares ac foris et inter collegas vestiri soleo. Non sum munditarianum neque urbanitatis neglegens!

«Prosunt praecipue illis,» dixit idem Terentius, «qui quidem scripta Latina legere queant, at nondum Latine colloquendo sint assueti, tales interrogandi et respondendi vices. Nam modi, constructiones, pronomina sunt secundum necessitatem mutanda omnia, ut suus cuique



«Fieri non potest ut hoc sit verum: tempus cenandi iam adest!»

conveniat sermo. Possunt praeterea id genus exercitationes paene ad infinitum variari. In gregibus porro meis qui modo respondit aliquando rogatur ut suum iteret responsum sed aliis verbis, vel alia constructione.»

De sessionibus vero postmeridianis, quibus propositae erant imagines quaedam describendae, retulit haec Milena Minkova: «In hoc munere explendo prout singulae imagines postulabant, verba antiqua, mediae quae dicitur aetatis, renatarum litterarum, moderni temporis usurpavimus. Titulus imaginis quaerebatur, genus picturae explanabatur, ars pingendi artificis enucleabatur. Non tantum de rebus ab illo delineatis sermocinabamur, sed etiam de animi motibus. Item in imaginibus coloribus imbutis occasio de coloribus disserendi dabatur. In hac sessione saepe oportuit de rebus abstrusis colloqui, quod magis ad Latinitatem modernam attinet quam ad vetustiorem.»

Ceterum in sessione vespertina loci ab auctoribus tum antiquis tum recentioribus deprompti legebantur. Iana O'Neill «has sessiones» inquit «auspicari ab interrogatis simplicibus solebam, puta 'Quod est huius loci caput?' 'Quid de ira Seneca censet?' 'Cum qua re iram confert?' Inde sensim ad argumenta difficiliora transiimus atque ad longiora enuntiata.» Similem rationem secuta erat Milena Minkova: «Finis erat ut Latine cogitantes participes scriptum Latine legerent Latineque explanarent necnon de eodem prolixius Latine dissererent. Hac ratione ad medullam Latinitatis facillime et citissime perveniebatur, cum eadem lingua esset cogitandum qua ipse scriptor opus suum exarans cogitavisset.»

Ad haec, Iana O'Neill quadam in sessione *Colloquia Familiaria Erasmi* - quae sunt ad legendum iucundissima - proposuit participibus non disputanda tantum Latine, verum etiam

histrionum instar agenda. «Mirata sum!» inquit illa, «nam sodales studio tanto sunt inflammati, ut perrexerint sponte sua etiam post sessionem actam meditari partes, nec hoc solum, sed plerique diverbia memoriae mandaverunt.» Qui die postero, pergula quadam proscenii vice adhibita, ac vestimentis induiti utcumque ad rem aptis, magno ceterorum sodalium plausu complura exhibuerunt colloquia Erasmica - ita ut saeculum sextum decimum atque Latinitas tam pulchra tamque alacer, quae illa aetate floreret, inter nos quodammodo revivesceret.

Et Terentio succurrerat - ut decebat artificum cinematographicorum progeniem (*Melissa*, no. 85, pp. 7-8) - rationes scaenicas ad Latinitatem exercendam fore utiles. «In coetus loquentium,» inquit ille, «quos equidem hoc anno moderatus sum, aliquid novitatis irrepisse videtur. Primum enim sum conatus sermocinationes, quae moderatore excluso inter participes solos fierent, ita amplificare ut fabularum scaenicarum (sed extemporalium) speciem haberent, commerciorumque instar essent, quae reapse inter homines intercedunt.» Talium fabularum en specimen quoddam, ab Terentio praebitum:

TERENTIUS: Propositum nunc est ut paria vestrum per vices partes agant. Partes re vera vobis erunt agendae. Velim fingatis vos esse histriones, sed nullas fabulas scriptas habere. Erunt igitur vobis histrionibus excogitanda cum interrogata tum etiam responsa idonea, quae quidem fabulae incohatae argumento congruere videantur. Per me quidem sermocinantibus licebit mimum usque ad ravim producere, vel saltem usque dum credant argumento se satis fecisse! Bene! Rem auspicabuntur Robertus et Diana. Initium quoddam fabulae vobis indicabo: at vestrum erit vices alias excogitare. Paratine estis? Bene! Quaeso, Roberte, roges Dianam ut liberos suos vetet in hortulo tuo ludere.

ROBERTUS: Deo semper gratias ago, Diana, quod mihi nescio qua sorte obtigit vicina tam comis,

tamque morigerata. Filii porro tui, quamvis vixdum sint adulescentes, neque minus sunt urbani quam mater, neque non vicinos omnes benevolentia semper prosequuntur. Quos igitur cum hodie in agello meo pila ludentes conspexisse, nihil dixi, obiurgationem repressi, ne illis tristis quidam patruus atque censor viderer. Non vicinorum, sed parentum est liberos vetare alienis in hortis ludere.

DIANA: Si verba tua recte intellego, me iubes filii meis interdicere ne umquam ex hortulo nostro gradiantur. Insanisne?

ROBERTUS: Noli quaeso personam alienam mihi imponere! Primum te non 'iubeo', sed te rogo, abs te quaeso et peto ut eos hac de re commoneas. Nec umquam significavi numquam licere illis ultra fines ambulare, sed vetando tibi esse filios in alienis hortis ludere.

DIANA: Quid dicam? Erratus et impetus filiorum haud semper praestare possum. Ante duos annos, cuius rei nunc oblitus esse videris, proposui ut sumptus ex aequo impenderemus in saeptum ligneum, quod in ipso hortorum nostrorum confinio exstrueretur. Quod autem negotium suscipere nolebas.

ROBERTUS: Non sum locuples! Magno pretio constant talia! Quomodo tantam erogabo summam e fisco tam angusto?

Conventiculi denique summam ac scopum videtur mihi Milena Minkova his verbis enucleate complexa: «Latine sumus locuti, Latine scripsimus, Latine legimus. Nam qui Latine scribit, melius scripta aliorum intellegit; qui vero Latine loquitur, etiam velocius legit intellegitque propterea quod Latine cogitat.»

Iterum aestate hac proxima fient Lextinoniae Conventicula Latina duo (videsis praeconium, huius fasciculi p. 16) - ad quae participanda invitantur totius orbis Latinitatis studiosi, ut vel in orbe hoc novo nobiscum cogitent, lectent atque colloquantur Latine. ↗



Anno 2.000 impendente Americani regentes suis civibus suaserunt ne iter in Russiam facerent exeunte mense Decembri, ne quid detrimenti caperent de catastrophico transitu ad annum bis millesimum. Legatis suis hac occasione ferias tribuerunt. Russi autem regentes iudicaverunt Americanos esse «nimis cautos».



DE IOHANNE BERCHMANNO (1599-1621)

POEMATIA DUO LUSA AB AEMILIO GOUFFAUX (1840-1924)

PRIMUM EDITA A THEODORICO SACRÉ



nquirent mihi in margaritas quasdam poeticas et ob id ipsum documenta non ita pauca excutienti penes Iesuitas Bruxellenses servata, poematia duo cum forte fortuna venissent in manus, quae in honorem S. Iohannis Berchmanni nostratis Latine erant lusa¹, eadem videbatur publici facere iuris, anno Berchmanniano ad finem iam properante- nam virum quadringentis abhinc annis natum esse constat.

Carmina haec medio mense Iunio anno 1888 videntur esse condita²; quorum alterum dimetris acatalecticis est cantatum, alterum ad lyram Sapphicam compositum. Poeta autem Hallis ex urbe Brabantiae oriundus, cum hos scriberet hymnos, annum aetatis agebat duodequinquagesimum atque in agro Bruxellensi parochi munere fungebatur³. Erat ille quidem a puerō Musarum admodum amans; quae haud scio an ipsum medullitus non redamaverint: multos scripsérunt ille in lucemque emiserit versus; at paucos reliquit, quos cum voluptate nunc lectites. Nam eos dum legis, haud raro desiderabis purum sermonem et Latinum imaginesve vere poeticas; immo illud persuasum habebis, Aemilium illum peregrinum semper fuisse in sermone Latino hospitem. Cur ergo scripsit? Nescio, sed mihi ille videtur sermonis Latini et ecclesiastici amorem cum lacte nutricis susisse; deinde memoria semper tenuisse annos illos scholasticos, Latini cum versus scribi iuberentur; tum exemplum sibi sumpsisse a Leone XIII P.M. (nam hic egregius erat poeta Latinus atque ad eum Aemilius inde ab anno 1887 carmina mittere solebat); denique severioribus et aequioribus caruisse iudicibus, qui eum reprehenderent monerentque (nam, verum ut fatear, Musa Latina, quamvis apud ceteras gentes coleretur, apud Belgas pro dolor obmutuerat). Sed quid ego iudices queror? Non omnibus quae scripsit carmina ignis erat iniciendus; inveniuntur enim quae habeant magnam suavitatem et delectationem, velut Sapphica de priore bello pancosmio; sunt quae impetu vere poetico incitata videantur, ut «In coemeterio manibus sepultorum pax»⁴. Illud vero affirmo, eiusmodi poematia esse rariora; superare sive frigida sive mediocria; in

mediocri numerum esse referendos hymnos Berchmannianos.

Reliquum esset ut legentium in memoriam reducerem S. Iohannem Berchmannum, si eum vulgo ignotum esse crederem. Quoniam vero gloria etiamnunc floret, verborum multitudine supersederi posse puto. Pauca haec habeant si qui forte memoria vacillent: «Iohannem Berchmannum piae felicisque memoriae Diesthemii in Belgis, Brabantiae oppido, natum esse III. Idus Martias anni M.D.XCIX. qui Sabbati dies erat, Virgini utique Matri sacer»⁵. Societatem Iesu ingressum anno 1616 Romamque mox esse missum, ut ad philosophiae studium se conferret; qua in urbe anno 1621 praematura esse abruptum morte. Iuvenem fuisse ingenio, pietate, modestia, fide tam insignem, ut sociis exemplo fuerit, Societati universae in exemplum propositus; anno 1865 in beatorum album esse relatum, ineunte autem anno 1888 sanctorum fastis adscriptum⁶.

I. Hymni inediti II

Ad Matutinum

Qui sanctitatis aureas
sectaris aedes assequi,
fidelis esto: non petit
a te stupendum quid Deus.

Fides amore te regat;
in omnibus specta Deum;
fac pro Deo quae per diem
assuetus ordo postulat.

5

Sic dulciter cum gaudio
Ioannis exemplum sequens
eius sacri consortii
merebis esse particeps.

10

Deo Patri sit gloria,
qui nos vocat per Filium;
simus perennis compotes
regni, iuvante Spiritu.
Amen.

15

Ad Laudes

Ut licet nobis sociare voces,
hac die laeti modulemur hymnos
teque festivo celebremus ore,
Sancte Ioannes.

In brevi abreptus spatium replesti
quo, cita vitae serie perempta,
circulum longae meritis coaequet
prima iuventus.

Eia digneris meminisse nostri,
Gonzagae consors sociusque Kostkæ⁷:
fac ut, exemplo resovente mentes,
signa sequamur.

Caelitus quisquis studet aemulari⁸
messis aeternæ prosequi triumphos,
commodet semen iuvenis daturum,
te duce, flores.

Parvulas cordis segetes superne
rōre caelesti Deus irrigabit,
ocius donec, redolente fruge,
inseret astris.

Praestet hoc nobis deitas, potenti
quae super caelos solio coruscans
orbe terrarum sinit in beatis
pandere diva.

commodet: commodat *ante corr.*
iuveni: iunior *ante corr.*
quae super: qui super *ante corr.*

II. Hymnus editus

Priores hymnos duos ineditos esse diximus;
tertium vero hymnum Berchmannianum idem
poeta in lucem bis edidit; nam eum et anno 1888
libello cuidam inclusit poetico (= **A**: Aemilius
Gouffaux, *Agnus Dei. Ode in Summum Pontificem
Leonem XIII* (Bruxellis, 1888), pp. 11-12), et
quinque post lustris, verbis versibusque paucis
paulo immutatis, commentariis Lovaniensibus
inserendos curavit (= **B**: Aemilius Gouffaux, 'In
honorem S[anc]ti J[ohan]nis Berchmans, occasione
anniversarii vigesimi quinti solemnis Ipius
canonizationis. 1888-1913', *Revue de l'Ordre de
Prémontré et de ses Missions*, 15 (1913), p. 239).
Nos ipsum critice edidimus atque id quidem ita,
ut textum primigenium (**A**) servarimus, variantes
lectiones anno 1913 introductas (**B**) in appendicem
criticam reiecerimus.

Sancto Joanni Berchmans hymnus

Quo novo caeli resonant triumpho?
Angeli cingunt socium corona;
limen aeternum patriae resultat
laude Joannis:

«Belgicae vallis rosa, delicatum
effer e terris caput; o coruscans
iam veni divis radiare in hortis,
floscule caeli!

Castitas blandi domitrix amoris
duxit intactos sine labo gressus
teque supremis sociata palmā
sustulit aulis.

Crux tuae vitae specimen secutae
hostis inferni pepulit catervas;
Virginis laudes, tibi ceu sagittae,
ore vibrabant.

Sacra Loyolae documenta coetus
pectus obducunt clipeo salubri.
His tribus functus moriente maior
morte resurgis.»

Inditis ergo celebremus aris
gloriam sancti patriaeque nomen
Belgicae civis liceat canendo
iungere famae:

«Caelitus nostrum miseratus orbem
a malo sedes cohibe paternas
et pio cultu tibi dedicatos
protege Belgas!»

In die canonizationis S. Joannis Berchmans, XV
Januarii 1888

- 1 caeli resonant triumpho A: cantu resonant Olympi B
- 2 Angeli A: Quem novâ B
- 3 aeternum A: aeternæ B
- 5 delicatum A: tu coruscans B
- 6-8 Effer e terris caput; o coruscans/ iam veni divi radiare in hortis,/ floscule caeli A:
quinque iam lustris caput extulisti/ inque
caelorum radias beatis/ flosculus hortis B
- 11 sociata palmâ A: comitata dudum B
- 13 secutae A: supernæ B
- 14 inferni A: infernas B
- 18 pectus obducunt clipeo salubri A: corda
texerunt clipeo salutis B
- 19 functus A: palmam B
- 20 resurgis A: tulisti B
- 21 celebremus A: renovemus B
- 22-24 gloriam sancti patriaeque nomen/ Belgicae

civis liceat canendo/ iungere famae A:
 gloriam sancti liceatque famae/ Belgici civis patriae
 canendo/ iungere nomen B
 25 caelitus nostrum A: Dive, Belgarum B
 27 dedicatos A: dedicatam B
 28 Belgas A: gentem B
 subscr. Hallis, 10 Augusti 1913 B.

ADNOTATIONES

- ¹ Bruxellis, in archio provinciae Societatis Iesu Gallo-Belgicae (quod est iuxta collegium S. Michaelis situm: «Archives des Jésuites de la Province belge méridionale, Fonds Poncelet, Documents & notes, boîte 35, notes n° 123.1». Gratias agimus R.P. Voiturier, tabularii praefecto, eiusque adiutrici, quorum humanitate freti per biduum in rerum Iesuiticarum investigatione ibi sumus versati.
- ² Cfr. epistula Aemilii Gouffaux ad R.D. Wuyts, decanum Diesthemiensem, data XI Kal. Iul. a° 1888 (eidem redditia VI Kal. Iul.), quae versibus his est subiuncta: «Monsieur le Doyen, Lors des dernières fêtes de Malines on m'a engagé à composer encore 2 hymnes en l'honneur de S. Jean Berchmans, me laissant entendre qu'on pourrait les insérer dans l'office à réciter le 13 Août. Quoiqu'il en soit, je me suis laissé dire, et viens vous offrir mes 2 petites compositions. Si vous les trouvez dignes de l'honneur dont ci-dessus, soumettez-les à l'autorité compétente. Je crois que sa grandeur Mgr. l'Archevêque les agréera volontiers. C'est Mgr. de Tournay qui le premier m'a parlé de la chose. Agréez, je vous prie, Monsieur le Doyen, mes hommages bien dévoués. Votre Em. Gouffaux curé. Hoeylaert 21 Juin 1888. On prendrait Ad Vesperas l'ode qui a été imprimée: Quo novo caeli resonant triumpho? ... [cfr. II]
- ³ De eo plura scripsimus: cf. D. Sacré, 'Gezelle in het Latijn: een overzicht', *Gezelliana*, 1 (1989), 60-78; Id., 'Vlaanderens laatste Latijnse dichter? Kennismaking met Emiel Gouffaux (1840-1924)', *Kleio*, 21 (1991), 36-47; Id., 'Gouffaux, Emile Louis Joseph', *Nationaal Biografisch Woordenboek*, 14 (Bruxellis, 1992), 224-229; Id., 'De Horatio in carminibus recentissimis obvio prolusio', *Vox Latina*, 30 (1994), 478-500; Id., 'Neolatijnse poëzie in België in de negentiende eeuw: een terreinverkenning', *Gezelliana*, 1995, 98-121. Ceterum alumnus quidam noster de eodem poeta dissertationem paravit: U. Vannijvel, *Onderzoek naar de Neolatijnse poëzie van Emile Gouffaux (1840-1924) en becommentarieerde editie van twaalf onuitgegeven gedichten* (diss. inedita Univ. Cath. Lovan., 1997).
- ⁴ *Revue de l'Ordre de Prémontré et de ses missions*, 14 (1912), 301-302.
- ⁵ Cfr. *Vita Ioannis Berchmanni Flandro-Belgae religiosi Societatis Iesu: Italice scripta a P. Virgilio Cepario, Latine redditia a P. Hermanno Hugone, utroque Soc. Iesu sacerdote* (Antwerpiae, 1630), p. 1.
- ⁶ Cfr. i.a. H.P. Vanderspeeten, *Vie du B. Jean Berchmans de la Compagnie de Jésus* (Lovanii, 1865); A. Poncelet, 'Documents inédits sur Saint Jean Berchmans', *Analecta Bollandiana*, 34-35 (1915-1916), 1-227.
- ⁷ S. Aloysius Gonzaga e S.I., 1568-1591 (alteram syllabam corripuit poeta); Stanislaus Kostka e S.I., 1550- 1568. Ambo eodem anno (1726) in sanctorum numerum relati sunt atque haud secus ac Berchmannus adulescentium tutores custodesque solent implorari.
- ⁸ Cfr. HOR. carm. 4,2,1: Pindarum quisquis studet aemulari. ↗



Anno 2.000 fietne reditus diaboli? In Africa quidem Australi res videtur esse timenda, atque Ioannisburgi vigiles divisionis «satanistiae», quibus inquirendum est de homicidiis satanice perpetratis, de renibus cordibusve surreptis e nosocomiis, de anthropophagia, de violatione sepulcrorum et de multis huiusmodi delictis crescente violentia eo plus habent laboris, quod in Africa Australi satanismus (insons quidem) est... propter libertatem religionis constitutionaliter licitus.

NUNTII LATINI X ANNORUM

REFERT THOMAS PEKKANEN

Anniversarium decimum nuntiorum Latinorum Kalendis Septembribus celebratum est. Vigilia diei festi Olli Alho, moderator primi canalis Radiophonae Finnicae Generalis (YLE R1), in honorem transmissionis Latinae cenam sollemnem in capona urbis instituerat, ad quam redactores aliqui, qui programmati Latino operam navant, invitati erant. Praeterea YLE praeconium parietale edendum curaverat, cuius duo milia exemplaria amicis nuntiorum domesticis et peregrinis distributa sunt. In maiorem nuntiorum gloriam Relatio annua 1998 totius societatis non tantum Finnice et Anglice sed etiam Latine divulgata est. Ipso die festo in capona mediae urbis colloquium diurnariis edocendis factum est, in quo inter lautum prandium Olli Alho et Hannu Taanila de origine et evolutione programmatis Latini narraverunt.

In redactionem nuntiorum his decem annis complures adiutrices vel cooperatrices adiunctae sunt. Nuntii a duobus redactoribus (Pekkanen & Pitkäranta) alternatim scribuntur. Recitatries, quae voce feminina aures audientium mulcent, sunt Anne Jussila, Hilla Salovaara, Virpi Seppälä-Pekkanen. De commercio epistularum, quod hodie plerumque cursu electronicus fit, Pauliina Almonkari et Saila Veijalainen curant. Productor programmatis Latini est usque Hannu Taanila. Relationibus publicis, maxime internationalibus, quod opus est magni ponderis, operam navant Marjo Cunningham (cum adiutrice Johanna Miettinen) et Kristiina Kandolin. Ita redactio Latina, modesto initio exorta, in circulum decem cooperatorum cooperaticum crevit.

Nuntii Latini optimum locum in programmata habent. In Finnia nuntii emittuntur die Veneris hora 9.55 et iterum 18.55. In Televisione textuali textus nuntiorum per totam septimanam in pagina 365,1-10 legi potest. Itaque omnes fere Finni, quorum numerus est quinque milionum, programma nostrum neverunt illudque audiverunt. Illi, qui totam emissionem totumque textum intellegunt, sunt pauci, sed numerus eorum non est despiciendus. Nuntii Latini sunt conspectus rerum septimanalis et, cum in eis de rebus in aliis instrumentis informativis inter septimanam tractatis plerumque agatur, omnes auscultatores aliquid statim intellegunt et ea, quae non



intellegunt, volentes lexico adhibito discere possunt.

Postquam Nuntii Latini in Interreti (www.yle.fi/fbc/latini) divulgantur, etiam illi, qui emissiones per undas breves captare non possunt, facultatem textus nuntiorum legendi in omnibus orbis terrarum partibus habent. Is, qui computatrum programmate auditivo (ut RealAudio) ornatum possidet, etiam recitationem nuntiorum per totam septimanam auscultare potest. Interreti adiuvante commercium epistularum in singulas septimanas augetur et novae nationes in gregem auscultatorum adiunguntur. Usque ad hunc diem redactio Latina epistulas ex quinquaginta quinque terris, nationibus vel civitatibus accepit, quae sunt: *Africa Australis, Arabia Saudiana, Algeria, Argentina, Austria, Australia, Bangladesa, Belgica, Brasilia, Britannia, Bulgaria, Canada, Cechia, Civitas Vaticana, Columbia, Congo, Dacoromania, Dania, Estonia, Faeroeae, Francogallia, Germania, Graecia, Helvetia, Hispania, Hollandia, Hungaria, India, Irlandia, Islandia, Italia, Iaponia, Lettonia, Lichtenstenum, Lituania, Luxemburgum, Melita, Mexicum, Mongolia, Nigeria, Norvegia, Nova Zelandia, Peruvia, Polonia, Portugallia, Russia, Serra Leonis, Sinae, Singapura, Slovenia, Suetia, Thailandia, Turcia, Uruguai, USA.*

Ut ex hoc catalogo apparet, auscultatores nuntiorum Latinorum in omnibus continentibus mundi inveniuntur. Maior pars eorum certe est in Europa et in America septentrionali, sed Americani meridionales, Australiani, Africani, Asiatici

haudquaquam desunt. Praeterea memoria tenendum est illas tantum nationes supra enumeratas esse, ex quibus nobis epistulae venerunt. Certe auscultatores etiam aliis in terris habemus. Locus remotissimus, unde epistulam de rebus Latinis accepimus, sunt insulae Palau (vel Belau) Oceani Pacifici, quae hodie sub tutela Americanorum sunt ideoque supra separatim non nominantur.

Horarium nuntiorum, quod bis annuatim mutatur et in variis zonis et continentibus variat, in Interreti facilime invenitur. Praeterea YLE bis singulis annis auscultatoribus, quorum inscriptionem cursualem habet, chartulas mittere pergit, in quibus de horario et libris editis narratur. Hucusque quattuor volumina nuntiorum Latinorum edita sunt, quibus textus nuntiorum ab 1.9.1989 usque ad 31.8.1997 continentur. Quintum volumen hoc anno exeunte divulgabitur.

Diurnarii et redactores radiophonici aut

televisifici his decem annis saepe in sedem Radiophoniae Finnicae venerunt, ut de Nuntiis Latinis certiora comperirent, et adhuc venire pergit. Die 27.9. apud nos fuit Dominus Takeshi Fujitani, praepositus graphei Romani et relator correspondens Balcanicus actorum Tokiensium *Asahi Shimbun*, quae totius Iaponiae sunt celeberrima. Die 4.10. Dominus Edoardo Rezzonico, qui Radiophoniam Helvetiae Italicam reprezentat, programma de rebus nostris Latinis praeparavit. Biduo post (6.10.) occasionem habuimus cum Domino Vlady Nicolov, redactore Radiophoniae Francogallicae, per semihoram de Nuntiis Latinis telephonice colloquendi. Praesertim hoc autumno, Finnis Unioni Europaeaem praesidentibus, cum solito plures redactores peregrini in Finnia sint, in actis diurnis aliisque mediis informativis de inceptis nostris Latinis, quae ubique fere magna gratia valere videntur, saepissime narratum est. ☺

MUSA LATINA



Hanc cantionem neograecam, ΤΑ ΠΑΙΔΙΑ ΤΟΥ ΠΕΙΡΑΙΑ inscriptam, quae continetur pellicula cinematographica a Iulio Dassin conscripta et directa, composuit Manos Hadjidakis, Finnice reddidit Sauvo Puhtila (vulgo Saukki appellatus); eandem e Finnica versione in Latinum transtulit **Ericus Palmén**.

A me si quando petis osculum,
Lunae diebus nil est quin impetres.
Id impetrabis semper Martis diebus,
nam candidus Martis est dies.
Nec minus apti dies Mercurii, Iovis
et Veneris, nec sabbatum.
At Solis die numquam oscula
dantur, nam constat quieti hunc datum.

Et quando vis,
hospes meus sis;
Solis per dies
esse solam des!
Huc venias,
cum desideras;
Solis per dies
tantum exsules!

A me si quando petis osculum,
frigus sit aut calor licet quilibet,
id item impetas autumno vel
bruma vel ver cum te calefaciet.
Sit dies licet quamvis nubilus, ater,
apricus aut usque pluvius,
memento: Solis die non datur
osculum - hic est quieti deditus.

Et quando vis,
hospes meus sis;
Solis per dies
esse solam des!
Huc venias,
cum desideras;
Solis per dies
tantum exsules!



Anno 2.000 appropinquante varii terrores exoriri videntur. Sicut anno 1.000? Re
vera terror anni millesimi videtur fuisse fabula; nam plerique homines vivebant
inculti, sine recta temporis notitia, solo edocti rhythmo naturae. De rhythm
autem naturae respiciendo tertio millennio utile erit iterum cogitare...

DE NOVIS LIBRIS

C. EICHENSEER, *Collectanea usui linguae Latinae dicata*, Saarbrücken, Societas Latina, 1999.

Non est ullus Latinista, quin fructus capiat ex hoc opere valde exspectato. Est enim quasi summa scientificarum inquisitionum, quas P.C. Eichenseer per multos annos fecit de usu Latinitatis. Tractantur quaestiones aliae magis generales, aliae magis speciales, agitur de Latinitate Christiana, de Latinitate post medium saeculum XIX culta, de sermone cottidiano, de verbis novandis, de nominibus machinarum, dierum, vehicularum, rerum ordinatralium, vestimentorum, de accentu, de verbis difficilioribus recte scribendis - additis plurimis exemplis et testimoniis - ... neque fieri potest ut omnia enumeremus.

Liber ergo omnibus non solum valde utilis, sed vere necessarius.

Societas Latina, Universität, FR 6.3 - D-66041 Saarbrücken.

Tonight they all dance. 92 latin and english haiku, edited by D. SACRE and M. SMETS, english translations by H. Servotte, illustrations by M. McIntyre, Wauconda, Bolchazy-Carducci Publishers, 1999.

Forma poetica laponica, quae «haiku» vocatur, linguae Latinae videtur bene convenire. Nam postquam Genovefa Immè, Henricus Reinhardt, Anna Elisabetha Radke, alii haicua Latina panixerunt, ecce 92 nova et nitida haicua Latine et Anglice edita ab associatione Flandrica poetarum haicuensium, quam Marcellus Smets anno 1995 condidit. Liber pulchre et calligraphice est illustratus a Marco McIntyre. Inest etiam index vocabulorum Latino-Anglicus confectus a Theodorico Sacré.

Bolchazy-Carducci Publishers, 1000 Brown Street, Wauconda, Illinois 60084, U.S.A.

R. MAIER, M. HOFMANN, K. SALLMANN et alii, *Piper Salve. Cursus vivaे Latinitatis*, Recanati, Septimanæ Latinae Europæae / ELI / Klett, 1999.

Hic liber originem trahit ab experientia Septimanarum Latinarum Amoeneburgensium, quibus hoc programma participibus solet proponi: «Latine loqui - Romane coquere». Inde ludus verborum tituli: piper salve sunt condimenta, quibus appetentia Latinitatis excitetur.

«Piper salve» non est methodus ad linguam Latinam descendam, sed ad vivam Latinitatem aggrediendam. Et re vera auctores vivo modo egerunt: sunt enim dialogi cottidiani, exercitia sub forma colloquii, delineationes quibus vocabula explicentur, appendix grammatica, lectiones, haec omnia (praeter Theodiscum indicem verborum) Latine tantum, id quod est valde laudandum. Neque varietas, neque iucunditas, neque risus deest; insunt etiam, si ars cenatica vestra interest, nonnulla praecepta coquinaria. Unum dolendum: nihil indicatur de pronuntiatione adhibenda et de accentu recte ponendo, praesertim in verbis novis.

ELI, P.O. Box 6, I-62019 Recanati



Annus 2.000 eritne annus mundanae communicationis Latinae? Hoc somnium ope interretis potest verum evadere; nonnulli in hac re consilia iam suscepérunt atque ecce nunc novum quoddam propositum, conventum dico virtualem, ad quem amicus noster Robertus Demol omnes Latinistas invitare vult. «Iam diu, inquit, exstant in interreti greges hominum Latine scribentium, qui inter sodales commercium epistulare colunt. Tamen, meo sensu, hic modus communicandi, quamquam utilis, non sufficit. Stimulus quidam deest. Hic stimulus est oratio directa, quae fieri potest inter homines totius orbis terrarum.» Certo die certa hora in «araneam mundanam» undique convenire ad colloquium Latine habendum, nonne attractivumst? Tot homines dolent quod in regione sua neminem habeant, quicum Latine possint colloqui!

Sed quo modo hoc fieri potest? Facile. Sufficit in interreti telecopiare programma ICQ (gratuitum; vide <http://www.mirabilis.com/>), postea nomen dare gregi cuidam qui pertineat ad linguam Latinam (unus iam exstat, paucissimis participantibus, quem augere possimus), denique cum aliis participibus convenire de temporibus, quibus omnes ordinatrum accendant ad colloquium instituendum. Ii, quibus placet hoc propositum, scribant quae sumus ad Robertum (rdem6062@euronet.be).

DE MUNERIBUS SERVORUM (X)

SCRIPSIT VALTHERUS FUCHS

PONDUS ERUDITIONIS (III)

Victimarii quoque ibi excolebantur, servi quoque publici subligaculo vestiti. Tales iuvenes in opere caelato saepe gutto, patera in manibus repraesentati victimam ad aram ducendam curant, ut animal sua sponte sequatur - nonnumquam baculo iuvante. Instrumenta quoque ad cultum pertinentia gestant: malleum, securim, cultrum, asciam.

Vino victimam aspergunt. Cultro dorsum stringunt inde a capite usque ad caudam. Molam salsam spargunt in capite animalis, malleum vibrant contra caput victimae, animal collabitur. Cultro arteriam cervicis aperiunt, exta resecant et augmenta, quae deponuntur in ara. In pyxide grana turis asservabant, e qua depromebantur et in tripode sacrificabantur.

Volumen quoque manibus tenebant: ecce signum ordinis socialis; carmina continebat precesque. Illae preces vix intelligibiles lingua vetusta conscriptae actionibus inserviebant religiosis. Sacerdos aut apparitor quidam illos textus recitare solebat, ne menda orirentur. Marcus Aurelius et Domitianus tales textus volumine in manu proferre solebant e memoria (F. Fless, *Opferdiener und Kultmusiker auf stadtömischen Reliefs*, Mainz, 1995, pp. 13 sqq.).

Anno p.C.n. 444 triginta notariorum muneribus fungebantur suis in grapheocratia imperatoria; in initio stenographi exceptores tantummodo erant, partim humillimo loco orti, servi, qui legationes suscipiebant. Multi eorum etiam administrifiebant, Iudeis aulicis nostris XVII et XVIII saeculorum simillimi (K. Hopkins, *Conquerors and Slaves*, Cambridge, 1978, pp. 172 sqq.).

Primarius notariorum summus erat omnium notariorum, quorum erat codicillos designationum conscribere; agebatur de indice, notitia dignitatum quae vocabatur: descriptio summorum munerum inde a praefecto praetorio usque ad legatos Augusti, una cum muneribus insignibusque eorum. Quod attinet ad famulos imperatoris, summus erat «praepositus sacri cubiculi» (= munus a Constantino institutum). Illi viri maximi erant ponderis, tunc temporis viri illustres, praefectis aequales.

Generatim agebatur de eunuchis, servis, barbaris, manumissis (i.e. viris castratis). Qui castrandi mos e Babylonia provenerat partimque et e Lybia. Assyria quotannis quingentos custodes gynaeceorum suppeditare solebat, i.e. tributum 508 castratorum pendebat, ecce institutionem quae usque ad primum bellum mundanum valebat in imperio Osmanorum.

In aulis imperatorum antiquitatis serae eunuchi verisimiliter inde a tertio p.C.n. saeculo exeunte inveniebantur, servi, e Persia, ex Armenia, e regionibus Caucasi importati qui pueri optime educabantur ac ascendebant in administratione aulica statumque amittebant servitutis.

Tales eunuchi muneribus fungebantur suis in latifundiis administrandis aut in palatio tamquam statharii (= corporis custodes) aut sacellarii (administratores fiscales) aut «comites sacrae vestis» aut cubicularii (= cubicolorum praepositi).

Eunuchi munere fungebantur usque ad mortem. Unus ex iis ordinem «praepositi sacri cubiculi» obtinebat; erant qui ordini senatorio adiudicarentur, quorum momentum erat immensum. Imperatores generatim eunuchis dabant aures, quapropter immo vero episcopis, qui quoddam munus ad imperatore petebant, primum eunuchi erant alloquendi pecuniaque corrumpendi.

Eunuchis multa erant latifundia magna que pecuniae. Infantibus deficientibus hereditas eorum erat imperatoris aut ecclesiae. Oriundi e servitute docilissimi illi castrati infantibusque orbati a favore dependebant imperatoris (Demandt, *Die Spätantike*, München, 1989, pp. 241 sqq.).

Mirum non est eunuchos auctoritate sua abusos esse, qua de causa civibus erant odio, contemnebantur propter dolos fallaciasque. Cum essent notarii, secretarii, stenographi, omnia secreta noverant imperatoris mandataque obtinebant specialia, e.g. rebellionem quandam supprimere pecuniis persolvendis. Fundamentum auctoritatis erat favor imperatorum; nihilominus quaedam iis erant impedimenta: ad nobilitatem ascendere iis non licuit. ↗



Latine loqui ...


Seminaria Societatis Latinae

ab anno 1973 eximie instituta a D.re P.C. Eichenseer, qui participes scienter inducere solet, ut Latine loquantur. D.rix Sigrides Albert tirones delectabiliter solet docere et textus Latinos (plerumque humanisticos et posthumanisticos) palam proponere.
- Morsaci in Helvetia **23-29 m. Iul. 2000**, in loco saluberrimo supra lacum «Quattuor pagorum» sito.

Societas Latina, Universität, FR 6.3 - D-66041 Saarbrücken

- Geldoniae in Belgica **5-12 Aug. 2000**,

in pulchro praedio saeculi praeteriti (cum viridario vasto) quod vocatur «Château des Cailloux» (vide imaginem).
Gaius Licoppe, avenue de Tervueren, 76 - B-1040 Bruxelles, guy.licoppe@pophost.eunet.be



Conventiculum Latinum

fiet in America, Lexingtoniae in civitate Kentukia, **14-29 Iul. 2000**. Ita est, bene legistis, duas hebdomades continuas! Hoc consilio moderator professor Terentius Tunberg participibus (sint ludimagistri, professores, studentes, alii) miram occasionem praebet sermonem Latinum exercendi. Cuius generis sint Conventicula, videatis p. 6.

Terentius Tunberg, clatot@pop.uky.edu

Seminarium Siciliense

institutum a Georgio Di Maria litterarum classicarum professore in studiorum universitate Panormitana fiet in monte Eryce **5-13 Sept. 2000**. Inter exercitia Latina, colloquia et textuum lectiones procul dubio occasiones non deerunt eximia invisendi antiquitatis monumenta! Tres sodales Fundationis Melissae et Societatis Latinae Georgium adiuvabunt ad moderandum.

Georgius Di Maria, Via Resuttana, 352 - I-90146 Palermo; gdimaria@unipa.it

Feriae Latinae

fient in Francogallia meridionali, Tarascone in Abbatia Sancti Michaelis Ferigoleensis, media in pulcherrima et vere tranquilla regione, **31 Iul.-7 Aug. 2000**.

Iohannes Claudius Champeau, 121 chemin des Moulins sup. - F-06510 Gattières, tel. 0(033) 4 93 29 17 02, aut Clemens Desessard, Résidence des Collines C9, 500 rue Léo Brun - F-06210 Mandelieu, tel. 0(033) 4 93 49 01 91

Seminarium Opoliense

fiet in Polonia, in pulcherrimo castello prope Opole sito, **29 Iul.-5 Aug. 2000**, moderantibus associatione L.V.P.A. et fundatione c.n. Pallas Silesia, atque thema erit de Silesia Latina.

Marius Alexa, Burgstrasse, 3 - D-59368 Werne, tel. 0(049)2389 / 45334 aut Inga Pessarra, Nordstrasse, 39 - D-59174 Kamen, tel./telecop. 0(049)2307/15617